



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 6. Cujus sunt Lapidicinæ, venæ Metallicæ, Gemmæ, Lapilli, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

*Not.* In his sicut in aliis spectanda sunt specialia locorum leges, vel consuetudines, & servanda. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus in tres partes æquales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera Domini fundi, tertia Dynastæ, seu alti justitiarum, vel Regis, si solus in loco sit altus justitarius. Theauri verò à Domino fundi inventi media pars est inventoris, alia Dynastæ vel Regis. Imò circa hoc variæ sunt in variis provinciis consuetudines.

*Q. 6. Cujus sunt Lapidicinae, vene Metallicae, Gemme, Lapilli, &c.*

*Resp. I.* Lapidicinae, carbonariae, cretariae, arenariae, fodinae ferri, plumbi, quæ sunt in fundo alicujus, pertinent ad dominum fundi: nam vel sunt pars fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ; vel sunt ejus fructus. Idem dic de venis metallicis, spectato solo jure naturali, & gentium, quia sunt partus fundi, cum in eo nascantur, seu formentur, vel ejus partes. Jure tamen civili in variis locis venæ auri, & argenti in fundo privatorum repertæ, sunt partim Principis, partim inventoris. Possunt autem Principes ob bonum commune sibi jus effodiendi hæc metalla vindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet etiam in agris alienis, & eruta fisco applicandi

di ad sustinenda onera Reip. compensato solo damno, quod infertur loco.

*Resp. II.* Gemmæ, corallium, lapilli, & similia, quæ inveniuntur in promontoriis sunt occupantis, *Instit. de rer. divis.* quia nullius sunt.

**Q. 7.** *Quinam sunt alii speciales modi acquirendi dominium?*

*Resp.* Sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, inædificatio, pictio, implantatio, satio, nativitas ex *Instit. de rer. divis.* & l. 7. ff. de *Acquir. rer. Dom.* Itaque

1. Per *alluvionem*, id quod vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjicitur, fit Domini fundi, cui fit adjectio. Dico, *insensibiliter*, nam si notabilis pars tui prædii statim subita aquarum tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet.

2. Per *specificationem*, cum res aliena ita mutatur in aliam speciem, ut ad primum statum reduci nequeat: ut si ex alienis lanis vestem conficias, vestis est tua; sed teneris solvere pretium lanæ, & damna, si quæ sint, & ad hoc datur actio alteri. At si res aliena in pristinum statum restitui possit, ut vas argenteum in massam argenteam, dominium vasis acquiritur ei, cujus est materia.

3. Per *accessionem*, cum quid ad ornatum alteri rei adjicitur: ut si quis alienam domum pinxerit, pictura Domino domûs cedit, nec